

- supra, pralud. 3. circa justificationem consuetudinis, ver-
se. & insuper quoniam cum isthac, à n. 137.
- 309 Nec obstat octavum, & ultimum argumentum ad-
ductum supra, n. 38. ex quo dicebatur, quod privile-
gium præsumptum inductum est consuetudine, potuit
tollī, & revocari à Romano Pontifice, prout in Bulla
Cœnæ Domini casu 15. ibi, aut prætextu cuiusvis
consuetudinis, seu privilegii, quia respondetur primò,
quod Bulla disponit, ut nullus occasione, & colore ali-
cujus privilegii, aliquid faciat contra ibi dispositum, sed
Bulla non loquitur, non procedit, nec aliquid disponit
super hac cognitione extrajudiciali, & charitativa pro-
tectione, ac nuda vi oppressorum defensione, omni
jure naturali, divino, positivo, & consuetudine, permis-
sa, & pertinente Regibus supremis (pro ut latius vide-
mus in secundæ argumenti responsione) & sic à separatis
non fit illatio. Secundò respondetur, quod hæc cog-
nitione, & naturalis defensio subditorum non competit Re-
gibus supremis ex aliquo privilegio Romani Pontificis,
sed ex juris naturalis instinctu, ratione, & principio,
naturale attributum est, propriumque Regis officium
inhærens regimini, à quo avelli non potest, nisi simul,
& iis causis, quibus regimen, & Regnum tolli potest,
& tunc non de per se tollitur, sed tanquam substantia,
medulla, anima, & qualitas sui totius subjecti. Et quia
hæc ista cognitio, & extrajudicialis defensio prove-
niens à nudo jure naturali, semper in omnibus privi-
legiorum revocationibus præservata, censetur confirma-
ta, & approbata ejusque immemorialis consuetudo,
ut apparet expressè ex d. Bulla Martini V. & post hæc
scripta vidimus Cevall. in tractatu de cognitione per viam
violentiæ, in præmio, cap. 10. & gloss. 6. n. 42. disputantē,
an dato casu, quod hæc cognitio pertineat Regi ex
313 privilegio (cum præcipue cõpetit mero jure ex officio
regali, & ex fonte juris naturalis) possit per Pontificem
revocari, & quod tolli non possit probat Torre. Blanca
tractatu de magia, lib. 3. c. 26. à n. 3. cum seqq.
- 314 Deinde quia in d. Bulla dumtaxat excommunicantur
generaliter impedientes, & quoquo modo perturbantes
libertatem ecclesiasticam, super quo tollitur con-
suetudo, & privilegium, & casu negato, quod illa Bulla
in hac cognitione per modum extrajudicialis defen-
sionis loqueretur, consuetudinē immemorialem nostram
non conseri sublatam, diximus latius supra, d. pralud. 3.
à n. 155. circa justificationem consuetudinis, & quia
ut superius diximus, non solum non violatur ex prote-
ctione Regia libertas ecclesiastica, imò applicatur, &
augetur, ut tutiori, & securiori modo, jus innocentis
conferetur.
- 315 Insuper jam notandum est, quod Bulla Cœnæ Do-
mini incipit anno 1499. Kalendis April. tempore Alex.
& Martini V. in qua nulla fit mentio tollendæ violen-
tiæ, sed generaliter excommunicantur impedientes li-
bertatem ecclesiasticam, postea verò Sixtus Papa IV.
Bullam Cœnæ ad antiquam illam formam Martini V.
reduxit, & multas clausulas à Paulo II. postas, abstulit
à prædicta Bulla, ut tradit Angel. verb. excommunicatio,
30. cas. 31. Sylvester. verbo excommunicatio 7. num. 77.
excommunicatione 32. Tabien. verb. excommunicatio 6.
§. 12. vers. 15. ubi Sylvester refert Bullam ejusdem
Sixti IV. ad Ducem Mediol. Galleacum anno 1479.
Novemb. 19. postea verò specialiter, & in particulari
fuit facta mentio in Bulla hujus prohibitionis, scilicet
etiam sub prætextu violentiæ, ut habetur in Bulla
Adriani Papæ, & Sixti, ut tradit Cajetan. verb. excom-
municatio, cap. 30. idem habetur in Bulla Julii Papæ
III. secundum Ledesnam 2. p. q. 26. art. 2. idem habetur
in Bulla Pauli IV. Soto in 4. d. 22. quest. 2. art. 3. & in
Bulla Gregorii XIII. anno 1584. tradit Navar. in ma-
316 nual. cap. 27. n. 69. & sic dicta Bulla, & clausula (etiam
sub prætextu violentiæ) incipit à Bulla Adrian. VI.
anno 1523.

Hæc adduxit, ut cognoscatur, quod quado dicta Bul-
la Cœnæ Domini comprehenderet (quod negamus)
legitimam Protectionem, & vi oppressorum naturalem
defensionem, & legitimam cognitionem, cum non
fuerit in Hispania, & in aliis diuionibus Christianæ re-
ligionis recepta, non deberet officere. Etenim lex
Regis 36. tit. 5. lib. 2. recopil. condita fuit anno 1525. 317
quo tempore affirmant Reges Catholici Hispani, ha-
bere jus & consuetudinē immemorialem cognoscendi
per viam violentiæ in causis ecclesiasticis, quibus est
credendum (ut diximus supra prope principium hujus
capituli) quæ immemorialis supponit tempus infini-
tum; ut docet Corneus conf. 22. num. 5. lib. 1. ubi dicit, 318
quod interruptio, & prohibitio non excludit immemo-
rialem. Sequitur Paul. Castr. consil. 27. num. 48. lib. 1. 319
Molina lib. 1. de primogeniis, cap. 6. à n. 47. & cap. 2.
num. 20. & nos latius superius diximus, & sic ante præ-
dictam Bullæ promulgationem causata erat, & formata
consuetudo immemorialis, quæ interruptio non potuit
per dictam Bullam, dato casu (ut dixit) quod loqueretur
de hac violentiæ, quia respectu illarum clausularum
nunquam recepta fuit, non solum in Hispania, sed 320
etiam in aliis Regnis Christianorum Principum, imò
post ejus promulgationem minimè variatum, aut im-
mutatum fuit, continuata semper, & frequentata Re-
gii recursum extrajudiciali defensione usque ad præsens
tempus. Et ideo lex seu constitutio, quæ usu populi 321
recepta non est, sed imò contrariis actibus reluctanti-
bus, nec obligat, nec astringit, quia vim legis, promul-
gatae leges non recipiunt, nisi dum à populo recipiuntur,
& consensu civium comprobantur, quam sententiã
tenuerunt glossa in cap. 1. verb. frangere, de treuga, & pace,
cujus meminit Ill. in l. rem non novam, C. de judic. En-
riq. Bot. in tractatu de Synodo Episcoporum, art. 2. n. 51.
docent Abb. & communis relata à Felin. in cap. 1. à
num. 69. & num. 12. vers. intellige 4. de treuga, & pace,
Domini, in c. in istis, §. leges, 4. d. Aretin. in consil. 54. quem
sequitur Ant. Faber in rubr. insit. de testamentis, n. 11.
Duen. de regul. 79. ampliatur. 5. Martin. Navar. in manual.
cap. 23. n. 41. & lib. 1. consilior. tit. de constitutio. q. 5. Guil.
Benedict. in cap. Rayn. verb. & uxorem nomine Adela-
sam, n. 229. Rebu. in præmio Regum Gallicor. tit. 1.
n. 11. & 12. communem dicit Covarr. lib. 2. veritat.
cap. 76. n. 6. vers. quinto sunt, Cajetan. verb. excommuni-
catio, c. 7. §. nota 2. Manuël. Rodr. q. regul. 1. tom. q. 6.
arr. 10. Major. in 4. d. 14. q. 4. §. contra secundum. Driedo
de libert. Christian. lib. 1. c. 9. consideratione 22. Summa
Artil. verb. lex. Manuël Saa eodem verb. n. 1. cum pluri-
bus aliis relatis Valquez 1. 2. tom. 2. dispnt. 156. cap. 5.
num. 34. cum sequentibus, latissimè comprobans Joan.
Naib. de appella. à vicar. ad consil. Archiepiscop. Toleran.
p. 2. funda 3. à num. 12. ubi in similibus terminis hæc
doctrinam applicat, dicens text. in c. fin. de consuetud. 323
quatenus prohibet consuetudinē appellandi à Vica-
rio ad Episcopum, cum idem sit tribunal non compre-
hendere illud tribunal, quo ante ejusdem textus pro-
mulgationem consuetudo contraria vigeat, & post-
modum usu receptus non fuit, quia semper in contra-
rio usu continuata fuit consuetudo.

Et tandem ut dixit & eleganter Azeved. in l. 1. tit. 6. 324
vers. nec huic consuetudini, lib. 2. recopila. pag. 145. quem
referens, etiam sequitur Caned. in prædic. questio. ca-
nonic. 45. n. 60. omnia huic regio recursum, & legitimæ
defensionis vi oppressorum contraria, procedunt in
laico iudice, ut iudice judicialiter cognoscere volente
de causis clericorum; non tamen in Principe protegen-
te subditos per hæc viam violentiæ, & extrajudicialis
defensionis, quo cunctis satisfactis difficultatibus, quod
& omnes ferè Doctores hætenus in discursu citati,
præcipue supra n. 16. profitentur unanimiter.

Hinc obiter conterendi sunt nonnulli Doctores, qui 325
non benè perpendentes hæc nostram materiam cog-
nitionis

- gnitionis per viam violentiæ inadvertenter labuntur,
magis terminorum juridicorum ignari quàm corde; &
intentione peccantes, qui quidem legitimos, ac debitos
326 loquendi modos confundentes, vel hæc extrajudicia-
lem protectionem, & nudam defensionem vocant ju-
risdictionem. Vel asserunt, etiam inadvertenter iudices
Regios habere præscriptam jurisdictionem adversus ec-
clesiasticos iudices, ad cognoscendum per viam vio-
lentiæ, inter quos unus est Bobadill. in polit. 2. p. cap. 18.
num. 139. Segura de Habalos in directorio judic. eccle-
siastic. cap. 13. num. 51. quia hic (ut sepe diximus, præci-
pue pralud. 3. ubi latè probavi) nulla datur jurisdictio,
sed vis protectiva, & propulsiva, nudam vocant &
naturalis defensio, ac potestas politica, & æconomica,
sine umbra aut velligio Jurisdictionis.
- 327 Hinc etiam Azor. in Summa institutio. moral. lib. 5. c. 14.
num. 1. (qui ex proposito tenaciter sui proprii dumtaxat
opinionem motus, contra hujusmodi cognitionem
per viam violentiæ, & nimis justificatam protectionem
laicè insurgit, præcipue contra Covarr.) meritò repro-
batus, reprehenditur per Sese tractatu de inhibito. cap.
8. §. 3. num. 55. & 166. Fontanel. in tractatu de pact.
imperial. gloss. 13. casu 14. p. 3. à num. 12. cum sequenti-
bus, & eo non citato, Peguer. in suis decis. 92. & post
hæc Cevall. in epist. ad Regem, n. 99. & in lib. 4. com-
mun. opin. quest. 1. à n. 227. & iterum n. 273. & ampli-
us in tractatu de cognitione per viam violent. gloss. 6.
n. 56. qui falso supposito fundamento totam suam opi-
nionem fundat, scilicet; supponendo Regem in hac
328 cognitione, & protectione procedere cum jurisdictio-
ne, & judicialiter, & in forma iudicii quod quàm fal-
sum sit, monstravimus supra longa manu præ cæteris
in prælu. 3. ex quo multas doctinas mirabiles in ista
materia reperies, quibus facillimè poteris evacuare hu-
jus Doctores fundamenta, & ejus suppositionem fal-
sam oculis monstrare, cujus fundamentis sigillatim,
& ex professo respondent præcitari Doctores, illum
unanimitè reprobantes, ad quos te remitto, quia alio-
329 ri examinatione non indiget, idem etiam penè, quod
Azor. & contra Covarr. dicit Prosper. Farinacius con-
sist. 68. inter decisiones criminal. eodem falso supposito,
& fundamento jurisdictionis, cui pariter, ut superius
respondendum, licet ipse duobus concurrentibus ad-
mittat hujusmodi recursum ad Principem.
- 330 Eadem etiam ratione cavendum est à Cevall. dum
in epistol. ad Regem, n. 8. & in aliis pluribus sui operis
partibus, hoc loquendi modo utitur, dum tractat de
recursum Regio, dicit, potest, vel non potest in hoc casu
331 appellare per viam violentiæ: miror certè tanti Do-
ctoris, duo ad invicem repugnantia conjungere, etenim
si appellare, quomodo per viam violentiæ? si per viam
violentiæ, quomodo appellare? ex hac ergo nefanda
mixtura, quid potest oriri nisi horror, & scandalum
utriusque Republicæ, Ecclesiasticæ, & temporali, idem
dicit in glossa. 9. num. 8. ad fin.
- 332 Hinc majori animadversione dignus est Cevall. qui
alios reprobat minori causa, & occasione qui quidem
in tractatu de cognitione per viam violentiæ, in præmio,
c. 1. sub. n. 9. labitur peccans in legitimis jurispruden-
tiæ, & hujus protectionis extrajudicialis terminis, illos
penitus confundens, inquit igitur, loquendo de viribus
legis Regiæ 36. tit. 5. lib. 2. recopil. in hæc: Et sic nemo
potest de ejus viribus, & potentia dubitare, quia nihil
de rebus ad Ecclesiasticum forum pertinentibus, dispo-
333 nit, sed solum dat formam procedendi judicialiter in
defensione subditorum per viam violentiæ, & extraor-
dinarie cognitionis. Quid enim est judicialiter cognos-
cere, nisi figurã, & formã iudicii procedere, omnibus
servatis terminis substantialibus, & cum jurisdictione,
quia alius ea carens irã procedere non potest. Sibi enim
invicem opposita sunt duo hæc, judicialiter, & extraja-
334 dicialiter, quia aliud affirmat, alterum verò negat, de

quorum natura, distinctione, & cognitione, quia latif-
simè tractat as infra, 2. p. c. 13. per totum, ubi multa
scitu dignissima reperies circa hunc modum loquendi,
quo lapsus usus est Cevall. hic omitto.

Quod ulterius declaravit ibidem, dum hæc protec- 335
tionem, extraordinariam cognitionem simpliciter vo-
cavit, quia extraordinaria cognitio de per se non ex-
cludit judicialem cognitionem, nec substantiale formam
iudicii, nec ab alio, quàm à iudice, & jurisdictionem ha-
bente experiri potest, toto tit. ff. de variis, & extraordi-
nariis cognitionibus, quia non dicitur extraordinaria res-
pectu formæ & modi procedendi, sed respectu casuum;
quibus adhibetur, ut ex eodem titulo patet, & ex om-
nibus præcitis Doctoribus, & sic in hac materia non
potest dici extraordinaria cognitio sola, & de per se; sed
adjuncta extrajudiciali.

Unum tamen dissimulare non possum, quod post 336
scripta vidi apud eundem Cevall. in tractatu de cog-
nitione per viam violentiæ, gloss. 6. n. 42. quo loco reprobat
opinionem doctissimi Gregorii Lopez, Avendan. Sese,
Azeved. ex eo quod inter confirmandam hæc natura-
lem Principis defensionem asseverant nostram consue-
tudinē, de qua in d. l. Regia 36. procedere ex præ-
sumpta voluntate, & tolerantia Pontificis, qui propter
bonum publicum tolerant dictam consuetudinē cog-
noscendi per hæc viam violentiæ, perperam enim il-
los reprobare intendit.

Quero quid tum docti viri dicere, quod reprehē- 337
sione digni possit ab aliquo iudicari? Si quidem illi (ut
assolent) juris notissima principia insequuntur, imò &
lex 36. tit. 5. lib. 2. recopil. quæ fundatur in jure & con-
suetudine, quæ consuetudinē aut non legitime, &
suis debitis requisitis inductam; & acquisitam fuisse fa-
tendum est, aut scientiam, vel præsumptam, seu inter-
pretativam, & tolerantiam Pontificis intervenisse. Sed
illud est falsum, quia dicta consuetudo omnibus suis
partibus constans est, & legitimis modis, & requisitis
necessariis inducta, prout nos latissimè fundavimus su-
pra in prælu. 3. circa justificationem consuetudinis, &
probat Doctorum caterva, quorum nomenclaturam ibi
adducimus ad fin. ergo remanet verissima illa Docto-
rum assertio. Etenim notissimum juris principium est,
quod ad consuetudinē introducendam, & forman- 338
dam in iuribus incorporalibus scientia, & patientia
ejus, contra quem introducitur, præcisè, necessariò re-
quiritur, quia licentia hujusmodi & tolerantia defi-
ciente, non habet principium, unde possit causari con-
suetudo, quia in incorporalibus iuribus tolerantia habet
vim possessionis, ut in corporalibus, & sic deficiente in
illis tolerantia deficit possessio; quare sequitur, ut sine 339
possessione præscriptio non procedat, de quo articulo
quia plurima notata digna tetigimus infra, 3. p. cap. 10.
à princ. & ferè per totum, hic amplius non repeto: ergo
cum Rex noster se fundet in consuetudine; assertio
Gregorii Lopez, & sequacium perperam, & nimis
præcipitanter, & inconsideratè fuit à Doctore Cevall.
reprobata sine ratione, & sine fundamento, maxime
quia illud idem, quod Gregor. Lopez, asseverant omnes
in universum Doctores de hac consuetudine loquen-
tes, quod citavimus de prælu. 3. circa consuetudinis ju-
340 stificationem, ad finem.

Sed quando hæc ita verissima, & notissima non fo- 340
rent, ad effectum tamen, ut cognoscatur calumniola, &
& iniqua reprobatio, quam illorum Doctorum fecit
Cevall. ubi supra, sufficere pro comprobatione, quod il-
lud idem, quod nunc reprobat, ipse sequutus fuit plu-
ribus in locis, etenim in lib. 4. commun. opinion. quest. 1.
n. 274. impugnando opinionem Azoris dicit in hæc:
Sed salva pace gravissimi, & religiosissimi viri, sua
opinio generaliter, & indistinctè sumpta, non est vera,
nec tenenda, cum sit singularis, & nullum habeat secta-
torem, & loquitur contra communem Doctorum opi-
nionem

nionem, & traditionem antiquissimam de jure comprobata, & confirmata per tacitum Romanorum Pontificum consensum. Hac ille, qui proprio ore con-
 341 vincitur, firmatque perperam reprobari Gregorium, & idem Cevall. iterum hoc idem, quod Gregor. profite-
 tur efficacius in eadem q. 1. n. 251. in hac verba, *ibi*:
 Maximè cum ista consuetudo fundetur etiam ex tole-
 rantia Pontificis, qui cum habeat omnia jura in ser-
 vatione sui pectoris, & videat, & intelligat plures causas,
 de quibus in Regiis consistoriis cognoscitur per viam
 violentiæ, videtur tolerare dictam cognitionem, etiam si
 aliquantulum deviare à tramite juris propter bonum
 publicum, &c. Quæ verba formaliter sunt eadem, quæ
 Gregor. Azeved. Sese. quos ipse modò variis, & in-
 constans reprobat, palinodiam recantans.

342 Hinc & ulterius reprehensione dignus est Cevall.
 qui in tractatu de cognit. per viam violentiæ, glos. 6. n. 57.
 minus doctè reprobat opinionem Dominici Bannez, eo
 quòd in 2. 2. quest. 67. artic. 1. dub. 2. concl. 6. dixerit,
 Reges Hispaniæ habere privilegium Pontificis revocan-
 di causas Ecclesiasticas ad sua tribunalia per viam vio-
 lentiæ: in quo enim iste vir peccavit, ut reprobatione
 dignus sit tam ignominioso epitaphio, quo subscribit
 Cevall. *ibi*, opinio Dominici Bannez reprobat: non-
 ne consuetudo immemorialis, quæ se fundat l. Regia,
 quæ ut diximus causatur à jure naturali, & corrobora-
 tur, seu perscitur Pontificis scientia, patientia, &
 tolerantia, vim privilegii habet, præsumereque facit,
 privilegium Pontificis præcessisse, & similes alios effec-
 tus, ut latissimè supra probavimus prælud. 3. circa jus-
 tificationem consuetudinis; igitur Bannez nihil dissonans
 asseruit, sed expressit illud, quod à jure tacite inest,
 quia ex immemoriali potest non solum allegari privile-
 gium, sed etiam quilibet alius titulus de mundo: plu-
 res ad id citat Rotæ decisiones, ante medium, quas li-
 teraliter adducit Nicolaus Garcus, de benef. 5. p. cap. 1.
 sub n. 452. ante medium.

343 Deinde quia foret scitum confundere Cevall. & re-
 darguere, qui idem firmavit, in eodem tractatu de violent.
 glos. 4. num. 6. ubi alios sequutus in hac dicit: Et post
 hæc scripta doctissimus Sese, lib. 2. decisio in Epistol.
 Regia, verb. volentes, n. 112. ubi resolvit, quod quan-
 do consuetudo præscripta est immemorialis, & cum ea
 concurrat fama privilegii (ut in nostra lege Regni)
 habet vim sicut privilegium Papale, &c. (de quo & ego
 latius supra, suo loco) qui enim de fama privilegii testa-
 tur, plus firmat, quam Bannez, si enim adest fama
 privilegii, quid illum redarguit, dicentem habere Re-
 gem privilegium, cum adit immemorialis, quomodo
 enim fama privilegii apparere potest, nisi ii, qui de re
 hac tractaverint, testentur, imò omnes de eo mentio-
 nem faciunt, & eos sequutus Bannez; idem dicit Cæned.
 in quest. canonic. 45. n. 18. & sub. n. 27. & est videre
 per doctissimum Humadam, in l. 1. tit. 13. p. 1. glos. 4.

344 Vegam in summa, tom. 1. c. 29. casu 1. in fin. vers. nota que
 el Rey, & in cap. 85. cas. 141. vers. nota para esto; imò &
 quod magis est, dicit Cæned. ubi proximo, n. 18. ad finem,
 in hac: Imò quidem, ut referunt gravissimi viri nostri
 Catholici Reges, super hoc Summum Pontificem Six-

345 tum IV. consuluerunt, instigante illustrissimo memo-
 riæ immortalis B. Francisco Ximeno, Toletano Archie-
 piscopo, Cardinali sanctæ Baluinæ, & dicti Pontificis
 vivæ vocis oraculo hanc consuetudinem comprobavit,
 conferunt concessisse Bullam super hoc, &c. Hac ille
 Cevall. igitur contrarium quomodo comprobare pote-
 rit, si isti viri de actu affirmativo testantur? & quid
 mirum, hoc ita fuisse; cum in simili casu ad instantiam
 Regis Franciæ, qui pariter jure, & consuetudine facul-
 tatem habet tollendi violentias, Summus Pontifex

346 Martin V. illi concessit Bullam, de qua supra; qua si
 nos juvamus (prout & ipsemet Cevall. ubi proximo, in
 proemio, cap. 10. n. 36.) multò magis hanc consue-

rudinem debemus tueri privilegio expresso, & ejus
 fama.

Quod enim inconveniens esse potest hanc cognitio-
 347 nem per viam violentiæ, competentem Regi nostro de
 jure, & consuetudine, privilegio expresso confirma-
 tam, & corroboratam habere: quæ enim abundant,
 non nocent. Et quia certum est, posse quem ex pluri-
 348 bus causis possidere, & ex utiliori juravi l. possideri, §.
 ex pluribus, ff. de acquir. poss. ubi B. & Ill. textus etiam in
 l. paterna, & ubi Paulus, & Bald. Cod. de judi. heredi. te-
 net Bartol. in l. gerit, vers. ad secundum, ff. de acquir.
 heredi. idem tenet Alexand. in lib. 2. C. quod metus cau-
 sa, & cons. 32. volum. 3. & consil. 8. volum. 3. pulchrè, &
 multum ad nostrum propositum nostras Joan. Gate.
 tract. de nobilit. glos. 12. à n. 39. cum seqq.

Nec est in consideratione dicere, quod privilegium
 349 possit ab eodem Romano Pontifice iterum revocari;
 quia respondetur, id parum urgere, non enim ex hoc
 impediretur Regi recursus, & naturalis hæc defensio
 competens jure naturæ, divino, & consuetudine im-
 memoriali, cujus proprium, & naturale officium est, &
 à diademate inseparabile; & sic licet cesset jus ex pri-
 vilegio, non cessant alia causæ, & jura propria; quia
 ubi concurrunt duo vincula, & jura, uno sublato, actus
 ex alio sustinetur, §. affinitatis, Institutus de nuptiis, cum
 350 concordantibus, & quando plura jura in uno concurrunt
 ex diversis respectibus, uno sublato, remanent alia, nec
 cum deficiente confunduntur; latissimè multa conge-
 rens in propositum Tiraq. de retract. conventio. §. 1. glos. 351
 unica, per totam, & præcipuè à n. 18. cum sequentibus, &
 iterum à n. 61. cum pluribus sequentibus, hinc victus
 in judicio ex una causa, & jure super aliqua re, pote-
 rit ex alia causa, & jure rem iterum petere, & judicium
 movere, l. si mater, §. si quis autem l. & an eodem, l. fin. 352
 cum aliis, ff. de except. rei judi. l. si mater, §. si quis iter,
 l. 2. ff. eodem tit. & nos latius suo loco diximus, ergo si
 privilegium, quod contingat revocari, non ideo tolli-
 tur Regi nostro facultas extrajudicialiter defendendi
 vi oppressos, cum sustineatur ex jure naturali, divino,
 positivo, & immemoriali, quibus jure proprio compe-
 tit, quod remanet intactum, & illibatam; quæ juridica
 fundamenta, & rationes, cum non considerasset Cevall.
 ad vincendum inconveniens revocationis privilegii, eo
 indebitè adstrictus, & victus, motus fuit à vero aber-
 rare, negans absolute privilegium, de cujus fama plu-
 rimi testantur, & ipse etiam, cujus contrarium ipse pro-
 bare non poterit, maximè cum verisimilius sit adesse,
 imò juris, & de jure præsumptione inducta ab immemo-
 riali præcessisse consistendum est.

Quo supposito, meritò reprobanditur doctrina Suarez 353
 lib. 4. de immunitate Ecclesiarum, c. 34. n. 33. ubi supponit
 Regem Hispaniæ non habere facultatem cognoscen-
 di per viam violentiæ, nec sustineri, nisi Pontificis
 privilegio, & tolerantia; (quod idem est) cui respon-
 detur, quòd hujusmodi cognitio non fundatur dumtaxat
 in privilegio Pontificis tacito, aut præsumpto ex im-
 memoriali; sed in jure Regali proveniente à radice, &
 fontem juris naturalis, quo jure proprium officium Re-
 gis est vi oppressos liberare, & protegere.

Maximè quia rectè defendi potest tale privilegium 354
 à Pontifice concessum, non posse à Sede Apostolica
 amplius revocari, quoniam hujusmodi privilegium
 magis concessum est, & principaliter Ecclesiæ, & Eccle-
 siasticis personis, quoniam hæc cognitio illi est magis
 favorabilis, & nimis valde utilis, quia per eam Jurisdic-
 tio Ecclesiastica augetur, & tuerit, & potius amplia-
 tor, Pontificique, & aliorum judicium superiorum de-
 bitus conservatur honor in tranquillitate, & republi-
 cam utramque conservans, ne pax publica turberet, ut
 sæpius diximus, maximè supra, in responsione ad quin-
 tum principale argumentum, vers. & ideo minus ob-
 stat, à num. 240. sed privilegium concessum in favo- 355
 rem

rem Ecclesiæ revocari à Principe non potest; ut te-
 nent Lucas de Penna in l. fin. n. 64. C. de locand. prædiis
 civilib. Innocent. in c. novit. pro qua Feli. in cap. ad
 Apostolicam, numero 1. de simonia, dicit, esse ibi de hoc
 casum Ill. in l. non amplius, §. si certum, n. 14. ff. de leg. 1.
 dicens istam opinionem in consulendo, & judicando
 esse tenendam; comprobatur aliquibus rationibus Marta
 de jurisd. 4. p. cent. casu 52. à n. 15. cum seqq.

356 Probatur etiam, quia licet aliquando privilegium
 revocare possit Pontifex, tamen protectio, & defensio
 naturalis remanet Regi, cujus proprium est, & immu-
 tabile ex jure naturali, & hoc, quod alicuius etiam pri-
 vari proprium est, Princeps tollere non potest, quia Im-
 perator, & Princeps, licet sit Dominus quoad protectio-
 nem, atque recognitionem universalem, jurisdictionem,
 357 non autem quantum ad dominium particularium rerum,
 ad particularem spectans, de quo propterea dis-
 sponere non potest; ita in terminis, ut in uno plures
 referant, latè prosequitur multa in proposito adducens
 Marta tractatu de jurisd. 4. p. cent. 2. casu 12. à n. 10. us-
 que ad n. 17. ubi quòd Princeps in his, aliquid alterare,
 nec mutare potest, ubi elegantissimè: ergo licet fatea-
 mur, aliqua justa de causa privilegium posse revocari;
 tamen non jus proprium Regis proveniens ex visce-
 ribus juris naturalis.

358 Deinde quia Rex Hispaniæ in temporalibus Ponti-
 fici non subest, quia sunt duæ potestates separatae, & dis-
 strictæ, (ut notum est) sed privilegium concessum non
 subdito, non potest revocari, ut singulariter voluerit In-
 nocent. in d. c. novit. quem sequitur B. in l. qui se patris, C. un-
 de liberi, & in l. si cum mihi, ff. de dolo, Card. in repe. c. per-
 pendimus, in prin. de sent. excom. Archid. in c. quicumque
 11. q. 1. Castren. in cons. 317. viso, & examinato puncto,
 col. 3. vers. constat autem, vol. 1. Decius in cons. 286. n. 9. Ill.
 in cons. 56. n. 2. vol. 1. Castr. in l. digna vox, circa medium,
 vers. nota pro terris Ecclesiæ, C. de legib. Marta ubi proxi-
 mò n. 20. quem (post hæc visus) de verbo ad verbum
 transcripsit Ceval. de cognit. per viam viol. c. 10. in pro-
 mio, tacito tamen autore, apud quem alia etiam pote-
 ris videre ad hoc propositum fundamenta, pariter tran-
 scripto ipso Marta, eo tamen non citato. Vide etiam
 nonnulla per Torre-Blanca in tract. de magia, lib. 3. c. 26.
 à n. 3. cum seqq. ubi quòd hæc cognitio violentiæ tolli
 non potest, latè probat.

Miror igitur tanti Doctoris aliorum autoritatibus
 ex infesto detrahentis apponenda epitaphia, & igno-
 miniosas subscriptiones, ut cunctis patens sit, (reproba-
 tur opinio N.) quòd quidem alienum est à viro tam do-
 cto, maximè nobili, cujus magis propria, & naturalis
 modestia est, suavissimo artificio aliorum opiniones re-
 probare, & in receptum redigere, quantum sit dumtaxat
 necessarium ad veritatem eruendam.

359 Illud tamen tandem obiter prænotandum: non esse
 audiendum Gregor. Sayrium in thesauro casuum con-
 scientiæ, lib. 3. c. 18. n. 6. ubi approbans nostram cog-
 nitionem per viam violentiæ, ex juris naturalis principiis
 asserit cessare, quando alia via possit tolli violentia per
 Romanum Pontificem, ita ut dato recurso ad Pontifi-
 cem, cessare recursum ad Regem, cui ut Theologo par-
 cendum est libentius, quia ratione caret; etenim si op-
 presso per judicem, licita est ad sui defensionem non
 solum propriæ personæ resistentiæ; sed ad idem amicos
 convocare, ut vim propulserit, & auxilietur, quantum
 securius erit recurrere, & urbanus justitiæ ministrorum
 Regis ipsius (cujus proprium officium est) auxilium
 invocare, ut superius latè diximus prælud. 3. à princ.

360 Et quia ad sui defensionem, & propulsam vim li-
 citum est omnibus modis uti, dummodò in eis non
 excedatur modus legitime defensionis, & inculpata
 361 tutela (ut dicimus latius c. sequenti, à princ.) & proba-
 tur juris regulis, & principiis dictantibus, quòd nemo
 pluribus uti defensionibus prohibetur, ut in l. nemo
 Salgado de protect. Reg.

ff. de exceptio. & c. nullus plurib. de regul. jur. in 6. & quia 362
 defensiones non sunt de genere prohibitorum, ut una
 via electa, excludatur altera, ut in regul. cum quid, §. 4. eo-
 dem tit. ergo oppressus non est culpandus, si duobus; vel
 utiliori, aut faciliori, & uberiori ex his remediis utatur
 ad sui defensionem, cum talia remedia non sint inter se
 contraria respectu finis: imò tendant ad eundem defen-
 sionis, scilicet, & protectionis effectum, ut expressè pro-
 bat text. optimus in c. dilecto, de sent. excom. lib. 6. ibi: Saa; 363
 propria spiritali defensione tueri, sicque utrumque
 quodammodo gladium, & temporalem, & Ecclesiasti-
 cum, alterum videlicet altero adjuvare; maximè quia
 duo gladii consueverunt, exigente necessitate, ad invi-
 cem suffragari, & in juvamen alterius subventionem mu-
 tua frequentibus exerceri, &c. (& ejusdem Sayrii opi-
 nionem post hæc scripta visus) reprobat Cevall. de cog-
 nit. per viam violent. glos. 56.

Hactenus de theorica hujus saluberrimi, & charita- 364
 tivi Recursus, seu nudæ defensionis naturalis, & ejus ju-
 stificatione, quæ omnia nota, & attentè lege, quia à ne-
 mine hucusque adeò explicitè & distinctè omni refeca-
 to superfluo perpensa fuere, plurima essentialissima ad-
 dita, & mirabiliter, curiosèque applicata reperies, &
 quoniam quæ gravia sunt, nec clausis debent oculis præ-
 teriri, ut inquit Pontifex in c. conquestus, de sent. excom.
 ideo in prædictorum progressu, & toto tractatu hoc,
 quidquid dixerim, sanctæ matris Ecclesiæ, limæ, corre-
 ctioni, & censuræ libentissimè, & me submitto, quæ si
 aliud censeat, aliterve statuatur id ipsum ego censo, in
 eaque scripta muto, acumentisque desisto, & testor, ma-
 gis humana, debiliq; fragilitate, & ignorantia tunc
 labi deceptum, quàm culpa, cum sana sit intentio.

CAPUT II.

De modo procedendi per Regium Senatam
 in adimenda vi, ab Ecclesiastico giudice il-
 lata, non deferente justæ appellationi; &
 de variis formulis, quibus decreta conci-
 piuntur; & quid si excommunicatum
 (prout rogatur) recuset absolvere, an ad id
 cogatur, & an actorum inspectio in Senatu
 interim impediatur: & quid si secundæ
 jussioni (quam sèbre caris dicimus) non
 obtemperaveris.

SUMMARIUM.

- 1 Theoricam cognitionis per viam violentiæ abundè præ-
 ceteris tractavit Auctor in cap. precedenti.
- 2 Cognitio violentiæ fit extrajudicialiter absque umbra,
 & vestigio jurisdictionis, quam nec subjecta materia,
 nec forma procedendi patiuntur.
- Cognitio violentiæ nihil continet jurisdictionale, quia est
 nuda potestas,
 Naturalis defensio,
 Auxilium politicum,
 Oeconomica tutio,
 Permissa facultas,
 3 Et licita vis.
- Charitativa protectio,
 Propugnaculum violentiæ,
 Asylum vi oppressorum,
 Tutus accessus,
 Legitimus recursus,
 Vis protectiva, & propulsiva, quæ vis injusta justè repellitur
 & à principe propulsatur, ibidem.
- 4 Violentia tractatus ingentes includit difficultates.
- 5 Auctor à pluribus doctissimis viris Senatoribus, & advoca-
 tis fuit persuasus, in lucem edere hunc laborem, uti-
 litatem